



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

---


DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RANUNCULO.

---



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS;

QUÆDAM DE

RANUNCULI DOTIBUS  
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI.

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS LEWIN,

ANGLUS.

AD DIEM 25 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

---

Και διότι δύναται αν ξισθαι κατα τι τας σκευασιας και τας  
μιξεις και ποισ επι των παθων πειρασμοισ, πλιισα συμβαλλομενησ  
της ωρις εκασου των φαρμακων. Disc.

---


EDINBURGI:  
CUM PRIVILEGIO,  
APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCXCXVIII.



VIRO REVERENDO ROBERTO LEWIN,

*OPUSCULUM hoc, grati animi testimonium, filius  
ejus summâ cum pietate d. cque. Tu enim, Carissime  
Pater, amicissimus amicorum mihi semper fuisti; tu  
præceptorum spectatissimus; necnon integritatis haud  
parum probatæ, et scientiarum liberalium fautor:—  
earundemque exemplar mihi nunquam non præ-  
buiſti.*









---

---

*DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,*

DE

R A N U N C U L O .

---

---

*ROBERTO LEWIN, AUCTORE.*

---

---

**O**B mortalium revolutiones rerum, scientia alicujus medicamenti, five naturæ validæ, five mitis, et five peregre exoriatur, five domi, in alterius locum substituendi, minime vero non prodest. Et in tali indagazione, tametsi remediorum specialium non foveamus dogma, ut olim datum, hinc nihilo fecius in scientiam rerum miseris hominibus utilissimarum, plurimi identidem inciderunt.

A

Quando

2 DE RANUNCULO.

Quando igitur naturæ beneficæ legem universam inspicimus ; videlicet quantum cujuslibet mortalibus sit necessarium, tantum ejusdem suppeditari ; nonne hinc, proprietates perscrutari eorum, quæ prodige diffluunt, incitatur ?

Ranunculus idcirco ~~pratum~~ vere novo splendide vestiens, pecore hominibusque contemptus, etiam si incultus et depastus ordinibus viventium inferioribus, curiositati diligenti præmium offerre videtur ? Eoque magis, quandoquidem medicus scientia medica, philosophica naturali, et botanica valde ornatus, hisce verbis de Ranunculo Flammula loquitur :—

“ Its acrimony rises in distillation. Some years ago, a man travelled in several parts of England, administering vomits, which, like White Vitriol, operated the instant they were swallowed. The distilled water of this plant was his medicine ; and, from the experience I have had of it, I feel myself authorised to assert, that, in the case of poison being swallowed, or  
 “ other

“ other circumstances occurring in which it is de-  
 “ fireable to make a patient vomit instantaneously,  
 “ it is preferable to any other medicine yet  
 “ known, and does not excite those painful con-  
 “ tractions in the upper part of the stomach  
 “ which the White Vitriol sometimes does, and  
 “ thereby defeating the intention for which it was  
 “ given \*.”

Ranunculus Flammula et Lingua, ut puto, nunquam experimentis ab auctoribus subiecti sunt, et ad alios tres foliis simplicibus gaudentes, scilicet, Ficariam, Gramineum, et Reptantem, his duobus rarissimis, et Reptante etiam Flammulæ varietatem solummodo habito †; Ficariæ portio, folis benigni radiis, aëris lucisque actioni, exposita, mitis est; dum tamen radices acriditate abundant. De his vero tribus, cum non aquatiles sint, hic agere non opus est. Igitur hoc opusculum aggrediemur,

A 2

Imo,

\* Vid. WITH. BOT. Edit. II. Vol. III. Part I.—in the Additions.

† LIGHTF. Flora Scot.—HALLERI Hist. Stirp. &c.

#### 4 DE RANUNCULO.

*1mo*,—Duas plantas supra nominatas, Ranunculum nempe Flammulam et Linguam describendo.

*2do*,—Quæ sint earum proprietates enarrando. Et,

*3tio*,—Corrollaria quædam deducendo.

#### DESCRIPTIO.

Vix observare neesse est, quod Ranunculus classis Polyandriæ, ordinis Polygyniæ est. Ab ejus consortibus ordinis ejusdem facile dignoscitur, quum et calyce et corolla, mellifero poroque intra cujusvis petali unguem potiatur.

Species de quibus agimus, ab aliis ejusdem generis, foliis simplicibus lanceolatis differunt. Et Flammula à Lingua, quoniam hæc, contra atque illa, folia cum petiolis longis, et caulem declinatum possidet.

Ranunculi

Ranunculi hi herbario facile distinguuntur, cum generis sint, quod Anglice “ Crow-foot,” seu “ Butter-cup,” nuncupatur, et rarissime, si unquam, pratorum in medio, sed potius in paludibus aut in fossis se delectant.

Ineunte Junio Flammula floret ; sed Lingua paulo serius, et præsertim ad marginem lacuum invenitur.

Caltham Pratensem color sui floris perlucidus et magis aureus, et magnitudo major separant prioribus ; insuper staminum ordines sunt duo, et ejus flores plerumque marcent, et fructus eo tempore producitur quo Ranunculus Flammula vel Lingua florescunt.

Flammulæ radices fibrosæ et numerosæ : Caulis cavus herbaceusque, ac ejus summum in pedunculos multos se dirimit, quorum singuli, corolla pollicis dimidium lata, colorisque vivide flavi, ornantur. Color profunde viridis foliis est, quæ numero quatuor ad octo decemve, marginibus aliquantulum ferratis instruuntur, quorumque longitudo  
lati-

## 6 DE RANUNCULO.

latitudinem quadruplo vel quintuplo superat. Sed superiora linearea sunt. Calyx nonnihil hirsutus et pentaphyllus.

Sed Ranunculus Lingua in iis differt, quod folia digitos transversos fere duos longitudine, sed latitudine non octavam amplius digiti partem æquant; etiamque acuminata sunt. Caulis pedes duos vel tres altus; rectus; cavus; et, culmen versus, ramosus: Corolla digitum lata.

### PROPRIETATES.

IN hac parte, ut non a re erremus, agendum est, primo, quæ sint chemicæ dotes; et postea, quibus in vivum corpus viribus polleat.

Observare necesse est, ut omnes hæ præparationes sequentes, ex partibus herbæ et liquoris æqualibus, factæ sunt: exempli gratia, a Ranunculi libra, libra aquæ distillatæ, vel spiritus, vel tincturæ acquirebatur.

### ANALYSIS.

## ANALYSIS CHEMICA.

Expt<sup>m</sup>. I.—Die Junii duodecima, carnis agninæ affæ frustulum immergebam in phialam aquæ ex Ranunculo Flammula distillatæ, et alterum aqua fontana similiter tegebatur; deinde, hæ phialæ subere occlusæ sunt. Secunda post die, hoc frustulum aliquid aeris extricavit, et aqua cænosa facta fuit: die tertia fætuit: et, paucis diebus, putrefactione omnino solutum est. Dum id in aqua Flammulæ maceratum, nullam omnino mutationem subiverat: et quum, Augusti die duodecima, putrefactione profus careret; suber extractum est, ut partes volatiles effugere possent, et mutationes posteriores observarem, nam aqua adhuc acris erat. Attamen, initio Novembris, putrefactionis signa non apparebant.

Expt<sup>m</sup>. II.—In vase vitreo agitavi aquæ ex Flammula distillatæ partem unam, et lactis vaccini  
duas



## 8 DE RANUNCULO.

duas, et postea mistas calefeci. Sed non coiverunt donec ebullivissent.

Expt<sup>m</sup>. III.—Mistura partium æqualium lactis vaccini et aquæ distillatæ ex Flammula, calori 90° per tres dies exposita, et postea per tres hebdomadas æstate in phiala contenta, non coagulavit, nec acida, nec putrida facta est.

Expt<sup>m</sup>. IV.—Infusum vegetabile aqua Flammulæ mistum, vel papyrus coloratus in hanc immersus, tincturam viridem vel rubram non induxit. Succus expressus, atque extractum, aquæ Flammulæ similia fuerunt.

Expt<sup>m</sup>. V.—Nec succus expressus, nec aqua distillata, nec extractum, sulphati ferri soluto adjectum, nigrum colorem aut præcipitatum dedit; tamen si saporem astringentem et saccharatum linguæ attulit extractum.

Expt<sup>m</sup>. VI.—Distillatione destructiva, aqua acris parata est, verum omnino olei alicujus inops; et residuum, in vase pyriformi igni subjecto, relic-  
tum,

tum, carbone et potassæ carbonate præcipue constitit.

Expt<sup>m</sup>. VII.—Anchusa Tinctoria, in aquam distillatam immersa, coloris mutationem non aliam creavit, quam in aqua simplice.

Expt<sup>m</sup>. VIII.—Cum bile mixta, effectum nullum notatu dignum edidit.

Experimentis his finitis, notatum fuit, materiem albam cretæ instar, nunc spatio mensis, nunc septimanarum sex, et interdum dierum viginti, præcipitatum esse ab aqua ex Flammula distillata. Eodem tempore, ejusdem vim acrem minutam esse. Quod ut, qua ratione, ne minueretur vis hæc acris, inveniremus, simulque præcipitati naturam detegeremus, sequentia Experimenta instituimus :—

I. Hanc materiem solutam in acido muriatico, suda copiose præcipitavit.

II. Eadem materies, ex parte solubilis esse in

B

oleo

oleo terebinthinæ, inveniebatur ; nam posteaquam hac oleum imbutum fuerat, et cuti impositum, vim rubefacientem quadrante horæ ostendit ; sed non fuit omnino soluta et ejus insoluta pars instructa fuit textura glutinosa.

III. An in spiritu vini rectificato, five forti five tenuiore solubilis sit, non mihi manifestum fuit ; nam si soluta sit, addendo aquam distillatam solutioni, lactea hæc non facta fuit, nec linguam nec cutem irritavit, magis spiritu simplice.

IV. Post cretaceæ materiæ subsidentiam, aquæ Flammulæ aquæ simplicis partem æqualem addimus, et leni distillatione dimidium circiter aquæ Flammulæ exhaustimus ; cui vis fere tanta fuit, ac ante subsidentiam, possedit : tunc residuum, calori thermometrico graduum ducenti et duodecim FARENHEIT expositum est, neque tamen soluta est materies alba.

V. Aquæ distillatæ, ut in priore experimento, exhaustæ portiones æquales, in tribus phialis obturatis occlusæ sunt : duarum quarum superficiem  
oleo

## DE RANUNCULO. II

oleo Olivæ supernatare licebat, ut actio aeris prohiberetur : Una in tenebris ; alia in medio luce ; tertia vero, cui nullum oleum supernatabat, itidem in tenebris suspensa est.

Post hebdomades quinque, ea, quæ actioni aëris lucisque exposueram, lactea evasit, dum aliæ duæ vix : Et fortassis ea, quæ nec luci nec aeri subjecta fuerat, ne vix quidem ; tamen ea lactea digito mota, acerrima erat ; sed, si oleum his duabus supernatans acriditatem aliquem sibi ceperit, non videbatur.

## VIRTUTES IN CORPUS VIVUM.

IN hac parte, primo quæ ab applicatione externa, et postea ab interna administratione oriuntur, nos percontabimur.

Expt<sup>m</sup>. I.—Prima Junii hebdomade Ranunculum Flammulam colligi, et dum eum in mortareo tundebam, ad succum expressum obtinendum, excretio tenuis abundans e naribus ciebatur, tamen sine sternutatione; atque lachrymæ, et subalbida a Meibomii glandulis, ut videbatur, materia effluerunt; ac hæc materies sæpe renovabatur et cantho interno præcipue inhærebat.

Expt<sup>m</sup>. II.—Succus expressus, et extractum sine acrimonia fuerunt, et saporis mitis.

Expt<sup>m</sup>. III.—Pannus, aqua e Flammula distillata bene madidus, digitoque applicatus, brevi dolorem attulit, qui duabus tertiis horæ partibus  
adeo

adeo gravis evasit, ut pannum amovere ne induceret. Horis sex inflammatio et dolor aucta sunt, angebantque; et post horas quadraginta vesicatio perfecta exorta est.

Expt<sup>m</sup>. IV.—Infusio tres dies digesta, inflammationem cruciatumque instigavit, et illa circiter horas duodecim perstitit.

Expt<sup>m</sup>. V.—Tinctura ex spiritu vini et rectificato et tenuiore, externe applicata nec vesicationem nec inflammationem progenuit; etsi linguæ labiisque cruciatum civerit intolerabilem.

Expt<sup>m</sup>. VI.—Spiritus distillatus proprietatibus similibus pollet.

Expt<sup>m</sup>. VII.—Oleo Terebinthinæ rectificato, quod ex Ranunculo Flammula subiecto igni distillaverat, vel in quo Ranunculus maceratus erat, pannus bene madidus externeque applicatus horæ dimidium, dolorem, cito inflammationem, et horis circiter duodecim vesicationem levem producit.

Expt<sup>m</sup>. VIII.—Pulvis Ranunculi Flammulæ et Linguæ aridi, minime sternutatorius est.

Expt<sup>m</sup>.

Expt<sup>m</sup>. IX.—Ranunculum Linguam, Junii medio duos circiter pedes altum, sed non floriferum legi. Radix adeo acris fuit, ut eam duo minuta lingua pati nequiret: Fibris inest vis similis: Caulis et folia mitia sunt. Aqua calida plantæ infusa non acris erat; sed vas, quod aquam continebat, solummodo tectum fuit panno: Residuum quoque et radicis et herbæ gustui omnino mite erat.

Expt<sup>m</sup>. X.—In casibus aliquot odontalgia et dolorum faciei rheumaticorum, postquam terebinthinæ oleum cum camphora votis non responderat, tinctura Flammulæ terebinthinata profuit. In his casibus immediate in gingivam fricabatur, et externe pannus laneus ea madidus applicabatur.

Dominæ Cynanche Tonsillari incipienti vexatæ et huic morbo admodum pronæ, etiam homini genu tumore et dolore rheumatico laboranti, sine rubore sed a pressu aucto, et denique in casu mor-

bi lumbaginis dicti, cum eventu felice hæc preparatio Ranunculi Flammulæ præscripta fuit.

Illi ope panni lanei, et his duobus frictione quinties vel sexies in diem, applicari juebatur: Homini lumbagine afflicto eruptionem copiosam super dorsum fecit.

Expt<sup>m</sup>. I.—Junii die tertio decimo, dosis guttarum viginti et quinque aquæ ex Flammula distillatæ in aquæ fontanæ uncia dimidiâ administrata est mane et vesperi; et diebus duobus sequentibus repetita est. Semper multum nausæ quatuordecim vel quindecim sexagesimas horæ partes incitavit; et fluxum salivæ mox multum auxit. Sensum molestum intra ventriculum fecit, non omnino caloris ignis illi dissimilem, et tunc ructus exortus est. Tribus sequentibus diebus dosin ad guttas triginta augebam, verum effectuum sine augmine. Postea, mense sextili dosin drachmæ unius et octuplo aquæ dilutæ ingurgitavi, sed nau-

sea



sea et falivæ secretio aucta nunc vix progignebantur.

Expt<sup>m</sup>. II.—Canis circiter hebdomadas decem natus, haustum ex aquæ Flammulæ uncia dimidia cum aquæ fontanæ uncijs duabus absorbere compulsus est. Nam in lacte cani majori dosin similem sine effectu visibili jam exhibueram. Sed in juniore cane appetitum augeri judicabam, et tali modo afficiebatur ut ambulando vacillaret. Non satis aqua Flammulæ diluta, animal se male habebat, os fiebat tenerum, iterum atque iterum querebatur plorabatque, etiam muscoli abdominales se citissime contrahebant, et relaxabant; et hi motus irregulares aliquid temporis perstiterunt. Borborygmi excitati sunt et denique alvi solutio.

Expt<sup>m</sup>. III.—Eidem, post hebdomadam, unciam dimidiam aquæ Flammulæ distillatæ ab herba optime lauta, posteaquam tincturam spirituofam præbuerat, administrabam. Post hujusce dosin primam vigescebat, alacer fiebat et duas sexagesimas horæ partes multum tussivit, ac vomere conatus est,

est, ut mihi videbatur; tertia elapsa horæ parte, dosis repetita fuit, et effectus omnes jam dicti aucti sunt, appetitus etiam valde incitabatur, ita ut morsellum carnis crudæ nunc avide devoraret: Dosi tertia symptomata ingravescebant: Nunc quoque vacillavit, et artuum subsultu affectus est: Dosi quarta vacillatio et coma maxime augebantur; et denique, parte horæ quarta postquam, unciam reliquam ingurgitaverat, omnino ebrius fiebat et comate oppressus. Attamen, per totum tempus, et horam sequentem, non vomuit; igitur cibum dedi, quem etiam, quamvis dum ederet, non stare posset, cupidissime devoravit, sed, intra quadrantem horæ, per os rejecit.

Expt<sup>m</sup>. IV.—Post tres hebdomadas, eidem mixturam cum Gummi Arabico, ut acrimonia obtunderetur, et canis facilius sorberet, dedi formula sequente,

R.—Aquæ Flammulæ distillatæ uncias duas,  
 Aquæ fontanæ,  
 Mucilaginis Gummi Arabici, utriusque  
 unciam, et quam optime misce.

Nunc eum vomiturum puncto temporis expectavi; at nihilominus mistura, præter unam alvi solutionem, quam cito movit, nil per horam et dimidiam effecit, postquam vero vomitionem plenam cievit; et iterum, post sexagesimas horæ partes novem et decem; ter quaterque hora dimidia sequente.

Expt<sup>m</sup>. V.—Misturam sequentem administravi cani eidem, post septimanam,—*scil. ex.*

Aquæ ex Ranunculo hederaceo distillatæ uncis duabus,

Aquæ fontanæ,

Mucilaginis Gummi Arabici, ana uncia una.

Hoc tempore ventriculus erat aliquantum vacuus. Cito ejus procacitatem solitam amisit; et tribus horis et tertia parte horæ vomuit; tum passus fuit, et rursus quadrante horæ cibum evomuit, et postea semel bisve.

CONCLUSIO.

## CONCLUSIO.

EXPERIMENTUM primum tertiumque partis secundæ, aquam Flammulæ vim antisepticam minime levem possidere, demonstrant.—Experimento secundo, quarto, et quinto eam cogere lactem valere, tamen nihil acidi, neque alcalini, neque astringentis manifestum est.

A sectione secunda, aquam Flammulæ esse acerrimam, infusionem et tincturam terebinthinatam in acrimonia ei proximam, sed tincturam et spiritum Flammulæ distillatum non acrem, videtur.

Etiam apparet tincturam terebrinthinatam, et oleum terebinthinæ ex Flammula distillatum, vi inter se paria esse.

Nam etsi, experimento tertio paginæ decimæ septimæ, canis vomuerit, hoc ab ebrietate clare provenit, nam, ut postea inveni, plurimum Alcohol adhuc herbæ permistum fuisse, et cum aqua eleva-

tum fuisse, quando distillationi aqua subiecta fuit. Cum vero ab alcohol vi ignis hæcce aqua liberata fuit, vomitum ciendi potestatem perdidit.

Vis vomitum ciendi non solum aquæ Flammulæ est, sed item aquæ Ranunculi Hederacei, et fortassis aquæ etiam ceterarum Ranunculi specierum, quæ acres sunt: Et aqua ab illis preparata, si modo non obtundatur mucilaginé, vomitus celerius fors induceretur, secundum citationem a Doctore WITHERING.

Canis, ne misturam devoraret, fortiter luctatus est: et hinc probabiliter, potius quam vi medicinæ, ejus alvus mota est.

Quum tantum salivæ fluxum aqua hujusce plantæ producat, et glandulæ salivales cum ventriculo semper consentiant, ut in febribus; nonne probabile, ubi defectus succi gastrici quibusdam signis suspicetur, ut hæc omine dextro administretur?

Appetitum mihi ipsi et hilaritatem paulisper,

ut

ut putavi, auxit. De hoc vero nihil confidenter affero.

Aquæ ex Ranunculo Flammula, Hederaceo, Acri, Sceleratoque, post aliquid temporis distillatæ, acrimonia æquales videbantur, quando cuti applicatæ fuerunt. Num hæcce subsidentia materiei cretæ similis, actioni aëris sive lucis sive utriusque, pendeat; non est meum affirmare: Quum experimentum de hoc, tempestate provectiore institutum fuerit, et herbæ inopia id repetere prohibuerit.

Nonne hæc aqua, capiti ad cutem rasæ, tutius Cantharidum emplastro, applicari potest? Nam absorptio et stranguria non timendæ: Hora vel hora dimidia, cutem rubefacit, etiamsi vesicatio non ante horas triginta exoriatur.

Etiam ubi afflictus asthmate miser emplastrum sustinere minime possit, nonne pannum hac aqua madidum brevi admovere cum solamine liceat?

Si hæc aqua, nephritide cruciatis, et fortasse  
aliis

22 DE RANUNCULO.

aliis morbis laborantibus, admoveatur, effecta bona sine injuriosis nonne promittit ?

Aqua distillata odoris injucundi est ; attamen tinctura terebinthinata minime : Nonne igitur hæc faucibus externis imposita, elegans estimetur rube-  
faciens ?

F I N I S.